



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXI. Liberum arbitrium sine auxilio non nisi ad peccandum valere:
quo sensu interdum à Concilijs, vel Augustino dicatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

fitu. Ed vel maximè, quod non tantum loquuntur de actibus bonis, sed etiam illos distinguunt à malis, & peccaminosis. Ergo etiam hoc titulo essent superflua omnes illæ declarationes, & modificationes actuum bonorum, si nihil aliud dicere voluissent, nisi quod ad actum bonum ex obiecto, & circumstantiis sit gratia necessaria; ergo sine vilo dubio declarare voluerunt, se postulare gratiam ad actus peculiares, ad æternam salutem conferentes. Quod in alijs locis apertissime declarant, dicentes, se loqui de actibus à fide procedentibus, vel per charitatem operante, vel vi sua impetrante. Ergo tacite, vel (vt sic dicam) per argumentum è contrario, vel ab speciali supponunt, opera bona inferioris ordinis, & modi posse esse interdum à libero arbitrio sine gratia.

26.
Confirmatur
Concil.
Trid.

Et inter alia, non parum nostram sententiã iuuat, quod in sess. 6. canon. 1. dicit Concilium Tridentinum, per opera hominis, quæ vel per humanam naturam, vel per legis doctrinam absque gratia fiunt, non posse illum iustificari. Nam Concilium supponit, talia opera fieri posse, ita vt non sint peccata, alias superflua esset definitio; ergo sentit, licet possint esse bona, non esse ad iustificandum sufficientia, & hoc modo directe contradicit Pelagius; contra quem canon ille editus est. Et in eodem sensu dixerat in cap. 8. ideo dici hominem gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera iustificationem non merentur, vbi probabile est, loqui Concilium de toto negotio iustificationis ab initio vsque ad consummationem eius. Et nihilominus supponit ante totam iustificationem posse præcedere opera, vtique bona, nam de malis quis diceret, esse meritoria iustificationis? Merito ergo asserimus ex mente Conciliorum, & Patrum posse dari aliqua talia opera ante illud auxilium gratiæ, quod Patres requirunt ad singula opera iustificationis, vel, quod idem est, ab initio fidei.

C A P V T XXI.

Liberum arbitrium sine auxilio non nisi ad peccandum valere, quo sensu interdum à Concilijs, vel Augustino dicitur?

1.
Satisfit alijs
testimonijs
allatis c. 19.
anum. 7.

Falsa est in
vigore illa
propositio:
Liberum ar-
bitrium de
se nihil va-
let, nisi ad
peccandum.
Pius V
Greg. XIII.

Superest, vt ad alteram partem testimoniorum, quibus in c. 19. à nu. 7. vsque ad finem, contra prædictas interpretationes instabatur, respondeamus. Summa vero omnium erat, quia Patres non solum dicunt, liberum arbitrium indigere gratia ad bene operandum in singulis actibus, sed etiam affirmant, peccare in singulis, si solum, & sine auxilio gratiæ relinquantur. Ad quod in primis dicimus, sententiam hanc: liberum arbitrium hominis post lapsum suis viribus relictum non nisi ad peccandum valere: in rigore, & proprietate intellectam falsam simpliciter esse, & non posse ab vilo Theologo defendi. Nam eandem affirmavit Michael Baius in 28. assertionem his verbis. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Et tamen Pius, & Gregorius Pontifices eam simpliciter reprobant, & sub censura sua generali comprehendunt: quia iuxta intentionem authoris in proprietate verborum asserbatur. Nec dici potest, reprobata esse, eo quod cum aliqua exaggeratione, aut censura, quæ alijs scandalum afferre posset, ab autore proferretur: nam ex tenore verborum constat, simpliciter, & sine vlla censura contrariæ sententiæ, proponi: & nihilominus tanquam falsam, & censuram dignam cum alijs refutari. Et revera multum fauet hæreticis huius temporis, qui nimiam quandam, & monstruosam corruptionem in humana natura lapsa confingunt: nam inter alia dicunt, hominem lapsum, & gratia destitutum semper peccare, nihilque agere posse, quod malum moraliter non sit, non solum quia sine malo positivè, aut saltem privativè, id est, non propter debitum finem, operetur, vt

quidam Catholici docuerunt (quos ipsi malè curiosos vocant) sed etiam propter depravationem naturæ. Quæ tamen nimia depravatio falso conficta est, & nec in Scripturis, vel Patribus fundamentum habet, & contra omnem rationem est, ac plane intelligibilis. Alioqui etiam homo in pura natura eandem haberet depravationem, quod est contra bonitatem naturæ, & authoris eius. Consecutio autem tenet ex superius dictis, vbi ostendimus, non minores esse vires liberi arbitrij in natura lapsa, quam in pura, nec in statu, & potestate bene, vel male operandi inter se differre. Item ex illa assertionem sequitur, omnia infidelium opera esse peccata, quod facile hæretici concedunt; imo idem dicunt de homine in statu peccati existente: quàm vero vtrumque falsum sit, supra est ostensum.

Cum ergo hæc ita sint, credendum sine dubio est, Augustinum, & sequaces in locis allegatis non fuisse in hoc sensu loquutos, vt quidquid liberum arbitrii sine auxilio gratiæ operatur, aut operari potest, eo ipso verè, ac proprie peccatum sit. Prima ergo expositio est, vt tale opus dicatur peccatum, non quia veram malitiam moralem habet, sed quia nullum meritum, vel utilitatem habet ad vitam æternam, in quo multum à bonitate Christiana deficit, & propter huc defectum large vocatur peccatum, quia in hoc æquiparatur peccato. Ita respondent Soto, Vega, Ruard, & Osius supra. Quæ expositio non est contemnenda, nam & aliquibus locis adaptari potest, & habet aliquod fundamentum in Augustino dicente, *Impius etsi bona videatur facere, tamen quia facit sine fide, nec bona vocanda sunt.* Præfat. ad Psal. 31. in fine, & multa similia habet in locis allegatis hic, & supra cap. 7. tractando de necessitate fidei ad bonos actus morales. Nihilominus si generatim intelligatur, & tanquam ad æquata tribuatur, non nobis supra placuit, tractando de actibus infidelium propter motum ibi propositum.

Alia ergo expositio ex ibidem dictis desumi potest, opera sine gratia facta non solum inutilia esse ad vitam æternam, sed etiam raro esse omni ex parte bona, & præsertim ex intentione finis, & maximè in infidelibus, & ideo ab Augu. prætermitti in enumeratione, & partitione operum liberi arbitrij. quæ tam rara sunt, & tam parvi momenti, tanquam nulla reputantur. Per hoc tamen non excludit Augustinus, quæ alijs locis fatetur, posse esse in homine omni gratia carente aliquod opus morale in suo ordine simpliciter bonum, sed quia illud rarum est, & ad disputationem contra Pelagianos nihil refert, illud prætermittit. Vnde cum Augustinus, vel alij Patres ex doctrina eius, dicunt simpliciter omnia opera liberi arbitrij sine gratia facta esse peccata, intelligunt regulariter loquendo. Quæ responsio sustineri potest, & illustrari his, quæ dicto c. 7. de mente Augustini circa actiones infidelium diximus. Et præcipue ex libr. de Perfect. iust. c. 19. & lib. de Spir. & Liter. c. 28. vbi ait, in homine carente superiori lumine vix inveniri honestum opus ex fine, nam particula vix indicat esse rarum, non tamen nullum.

Tertia expositio esse potest, Patres loqui iuxta materiam subiectam, & errorem, quem impugnant. Pelag. enim censebat, hominem suis viribus posse ita operari, vt & veram iustitiam, & vitam æternam consequatur. Patres ergo cum illum impugnant, de homine loquuntur vt tendente ad vitam æternam, & de operibus eius vt conducentibus ad illum finem, vel ab illo auertentibus, aut retardantibus, & quia hæc non fiunt, nisi per opera iustitiæ, & gratiæ, vel per peccata, ideo non considerant medium inter opera conducentia ad illum finem, & ab illo auertentia. Et ita comparando, hæc duo extrema, dicunt, non habere liberum arbitrium de se, nisi peccatum, quia si quid boni operatur in ordine ad illum finem, non suis viribus absque Dei gratia id facere potest. Per hoc autem non intendunt excludere à voluntate humana ab-

na absolute spectata omne aliud genus operis. Nam etiam aduersarij admittunt in voluntate actus indifferentes, quorum ratio non habetur, quia nec conferunt, nec impediunt vitam eternam: idem autem est de bonis operibus mere naturalibus, nam in ordine ad illum finem quasi indifferentia reputantur.

8. *Expositio* Adde vero viterius, quoties Patres distinguunt actiones liberi arbitrij in bonas, & malas, & dicunt, bonas referendas esse in Deum, malas ipsi libero arbitrio tribuendas; partitionem ita posse accipi, vt sit adæquata, nimirum, si sensus illius sit, omnem actionem bonam in Deum tanquam in principalem authorem esse referendam, malam vero non in Deum, sed in solum liberum arbitrium, quia liberum arbitrium virtutem bene agendi ex Deo habet; ex se autem deficit, iuxta illud, *Perditio tua ex te tantummodo, ex me auxilium tuum*. Cum ergo August. ait, liberum arbitrium ex se non habere, nisi mendacium, & peccatum, non ideo dicit, quia homo nihil per naturales vires liberi arbitrij agere possit, nisi mendacium, & peccatum, sed quia peccandi defectum ex se habet, & non à Deo, qui solum malitiam permittit, quod vero aliquid boni operari valeat, à Deo habet, & non sine auxilio, & potentia Dei prouidentia id facit.

6. *Differentia Conc. Arauc. su. ab errore Baij.* Et in hoc est notanda differentia inter canonem 22. Concilij Araulicani, & articulum 28. Michaelis Baij: Concilium enim dixit, *Neminem habere de suo, nisi mendacium & peccatum*, addendo enim illam particulam *de suo* (quam etiam addidit Augustinus in locis allegatis, & libr. de Perfect. iust. cap. 12.) per illam insinuat, se loqui de libero arbitrio per se spectato, & quasi distinguendo illud à Deo. Et sic dicit, à se tantum habere peccatum, quia peccatum, vt peccatum est, non est à Deo, sed à solo homine. Imo etiam quod liberum arbitrium sit defectibile, seu peccandi principium, non habet ex illo, quod à Deo recipit, sed ex eo, quod habet à se, nempe, quod sit ex nihilo, nam inde habet, vt peccare possit, sicut dixit Augustinus 12. de Ciuit. cap. 1. & cap. 6. ex professo probat, peccatum non habere aliam causam, nisi voluntatem creatam, non quatenus à Deo bona est, sed quatenus ex nihilo facta est. Idemq; habet Gregor. lib. 25. Moralium cap. 4. Et consequenti ratione quod liberum arbitrium actu peccet, illi soli tribuitur, non Deo, quia Deus nullo modo est author malitiæ, nec vult illam, licet ab homine fieri permittat. Hac ergo ratione dicitur homo non habere de suo, nisi mendacium, & peccatum; quæ ratio non habet locum in bonis actibus, cuiuscunque ordinis sint, vt statim dicemus. At vero Michael Baius alio sensu dixit, liberum arbitrium sine gratiæ adiutorio non nisi ad peccandum valere, quia scilicet voluntas humana etiam per illam bonitatem, & libertatem naturalem, quam à Deo habet, non potest aliquid boni operari, cum concursu Dei, & ideo abstulit illam particulam *de suo*, & de libero arbitrio simpliciter loquutus est. Et hac ratione propositio Baij à Pontificibus reiecta est, etiam si propositio Concilij sit verissima.

7. *Basiliensis 1. sessio expositio 4. ex D. Thoma cum August.* Ex qua sic intellecta consequenter sequitur, quid liberum arbitrium operatur, quod peccatum non sit, non habere illud de suo, sed à Deo, cui principaliter tribuendum est omne bonum. Non oportet tamen hoc vniuersaliter intelligere ex parte boni, & contra, ac limitate ex parte Dei, videlicet, sententiam illam explicando de omni bono actu tam naturali, quam supernaturali, & de Deo per gratiâ Christi auxiliante, id enim nunquam ita dixerunt, vel explicarunt Patres. Loquendo ergo, vt supponimus, de omni bono cum partitione accommodata, Deo tribuendum est, nam bona opera naturalia tribuuntur Deo vt authori naturæ, per se loquendo, supernaturalia vero vt authori gratiæ. Sic D. Thomas in 2. d. 28. quest. 1. artic. 1. ad 3. explicando locum Augustini libr. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 3. vbi dicit, Deum esse adiutorem ad omne bonum, respondet, vel in-

telligi de bono meritorio, vel si de bonis naturalibus actibus voluntatis intelligatur, etiam Deum iuuare ad illos, interius operando in ipsa voluntate. sicut in qualibet re operatur, & exterius occasiones, & auxilia præbendo ad bene agendum, nam sine his omnibus nullus benefacere potest. Et ita sentit, mentem Augustini esse, omnia bona opera esse ex Deo, vel per auxilia naturalis, seu generalis prouidentia, si opera sint inferioris ordinis, vel per auxilia gratiæ, si altiora sint.

Quam sententiam aperte satis docuisse videtur Augustinus in epist. 130. vbi agens de Polemone gentili, qui ex luxurioso continens factus est, non dimissa superstitio gentili, ait, nihilominus illam continentiam fuisse donum Dei. *Quid enim superbius (ait) vel ingratus cogitare potest humana recorda, si putauerit, cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri?* In qua comparatione indicat, sicut pulchritudo corporis est donum Dei, vt authoris naturæ, ita continentiam illam fuisse à Deo vt authore, & prouidore naturæ. Vnde addit, *Polemone si de luxurioso continens factus, ita sciret, cuius esset hoc donum, vt eum abiectionis superstitionibus gentium pie coleret, non solum continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantum ad præsentis vite honestatem, verum etiam ad futura immortalitatem valeret.* Per hæc significans, illam continentiam non valuissè Polemoni ad aliquid spiritualis salutis, sed tantum ad huius vitæ honestatem, ac proinde non fuisse donum Dei tanquam veram gratiam, sed tanquam beneficium naturale generalis prouidentia.

Eandemque sententiam satis clare docet libro quarto, contra Iulianum cap. tertio, dicens. *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles non ipso esse, sed illius, qui bene vitur malis.* Quod si quis dicat, Augustinum ibi loqui de bonis operibus ex genere, etiam si non bene fiant; inde à fortiori sumimus argumentum: nam illa opera, quæ simpliciter non sunt bona, sed tantum secundum quid, dicuntur esse opera Dei, quantum ad illud bonitatis, quod participant, multo magis, si aliquod opus simpliciter bonum à gentili fiat, illud erit Deo tribuendum, & vtrumque erit à Deo authore naturæ maius, vel minus beneficium in illo ordine conferente. Eò vel maxime, quod Augustinus non negat, tale opus posse esse simpliciter bonum in gentili, licet non sit bonum bonitate meritoria, & Christiana, vt sæpe dictum est. Denique in hoc sensu videtur dixisse Concilium Moguntinum nouissimum in primo decreto fidei. *Hunc Deum conditorem, conseruatorem, & gubernatorem esse reum omnium, in pœnis & vindictis iustum simul, & misericordem, in donis liberalem, omnis quidem boni, sed nequaquam mali, culpe author.* Vbi aperte loquitur de omni bono tam naturæ, quam gratiæ, & de Deo vt gubernatore in vtroque ordine, ac subinde singula bona esse à Deo gubernante naturam, vel in ordine ad conaturale bonum, vel in ordine ad supernaturale, seruata vniuscuiusque boni proportionem. Hoc ergo modo quando Patres dicunt, hominem de se nihil posse per liberum arbitrium, nisi peccatum, nam omne bonum à Deo habet, non ideo significant, arbitrium sine vera gratia Christi nullum bonum actum agere posse, sed significant, non ita illum habere à se, sicut peccatum: quia illum habent ex Dei beneficio non tantum creatis naturam, vel docentis per creaturas, vt dicebat Pelagius, sed etiam in particulari omnia prouidentis, & interius etiam operantis, saltem per generalem concursum, quod negabat Pelagius. Hæc ergo interpretatio licet non possit ad singula testimonia accommodari, quia sæpe Patres loquuntur de propria dependentia à Deo vt operante per auxilia supernaturalia gratiæ, nihilominus habet locum in alijs, vbi generalius loquuntur. Præsertim vero accommodatur optime hæc interpretatio ad loca locis expositi Augustini, ex quibus notauimus potuisse desumi canonem 22. Concilij Araulicani, scilicet tract. 5. in quadres.

Ioan. Proleg. de Doct. Christ. exposit. in Psal. 142. & serm. 3. de Verb. Apost.

10. Vltimo occurrit addendum, diuisionem illam voluntatis in bonitate supernaturali, & malam simpliciter: aliquando tradi potius de ipsa potentia liberi arbitrii, seu de ipso homine, quam de actibus voluntatis, & sic esse adæquatam loquendo de lege, & secundum statum Dei providentiam, omnis enim voluntas aut est bona per gratiam, aut mala, si careat gratia. Nam quia nunc voluntas instituta est, ut Deo per gratiam, & virtutes infusus vniatur, non potest esse simpliciter bona, si illis virtutibus careat, quia bonum ex integra causa, & quia non potest carere gratia, & virtutibus, nisi voluntarie, vel voluntate propria, vel saltem primi parentis, ideo non potest fieri, quin illa carentia in ea peccatum sit, & consequenter in eo statu voluntas sit mala. Et ita loquendo de voluntate ipsa non est medium inter voluntatem bonam, utriusque bonitate gratiæ, & supernaturalem, & voluntatem malam simpliciter, siue malitia opposita bonitati supernaturali, siue etiã naturali. Atque ita in ipsa potentia est illa diuisio adæquata, licet in actu eius non sit, nam inter actum bonum meritorie, & actum malum simpliciter seu peccatum, datur medium, nimirum actus bonus non meritorius gratiæ, & alij volunt, dari etiam actum indifferenter. Hinc autem fit, ut actus procedens à voluntate mala sua sola virtute operante, non possit esse ita bonus, ut faciat ipsam voluntatem bonam, vel illam simpliciter bonam denominet, quia non potest voluntas se suis viribus facere bonam, quod maxime Patres contra Pelagium intendunt. Ille enim quia negabat voluntatem esse malam ex carentia gratiæ, in qua nascitur, & ideo aiebat suis viribus fieri posse bonam. Patres autem, cum ex Paulo didicissent, omnes nos nasci natura filios iræ, secundum fidem docent, non posse hominem ita suis viribus operari bonum, ut suam voluntatem faciat bonam, nisi per Dei gratiam iustificetur, & ideo semper voluntatem hominis esse malam, si neque in Christo renascatur, neque per eius gratiam, sed solis viribus liberi arbitrii operetur. Et ita dicunt, non posse per se bene operari, ita scilicet, ut bonus fiat, neque ita ut perseueranter bene operetur, & integre, ac subinde semper peccare, non tamen pro semper, ut sic dicam, id est, non in singulis actibus, sed in tali statu, & in multis actibus, & fortasse frequentius. Quomodo aliqui exponunt illud Pauli, *Sine fide impossibile est placere Deo*, utique personam, vel vitam, quia nec potest quis sine fide aut à se excludere peccatum, aut sine peccato viuere, quamuis necesse non sit, ut in singulis actibus Deo displiceat. Sic potest intelligi, quod Araulicanum Concilium dixit, *Non habere hominem de suo, nisi peccatum*.
Suadetur ex iustis, quia sibi relictus, & gratia destitutus non potest
Conc. Araus. non esse in peccato, licet non semper nouum faciat peccatum.

11. Sæpe etiam iuxta hanc doctrinam loquitur Augustinus, ut epistol. 47. dicens: *Quantum potuimus, egimus cum istis, & vestris, & nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseuerent. Quæ neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam siue in bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid siue ut ex malo conuertatur in bonum, siue ut in bono perseueranter proficiat, siue ut ad bonum sempiternum perueniat.* Nam si recte verba attendantur, solum requirit Augustinus gratiam ut necessariam quoad operandum bonum, ut sit conferens ad sempiternum bonum obtinendum, quoad exclusionem vero mali, ut homo vel à se ipso excludat peccatum, & de peccatore fiat iustus, vel ut à sua vita excludat, quoad fieri possit, peccatum, perseueranter bene viuendo, non tamen requirit gratiam tanquam simpliciter necessariam ad singula peccata in singulis temporibus, & occasionibus vitanda. Præterea iuxta hanc doctrinam recte intelliguntur illa verba serm. 23. de Verbis Apostoli, *Nisi ille regat, cadis*, utique aliquan-

do sæpe, & frequentius, non tamen semper, & in singulis actibus, si locus ille de regimine per gratiam intelligatur. Nam si latius sumeretur, ut includeret etiam regimen generalis providentiæ, siq. posset etiam de singulis actibus liberis intelligi, & ad naturales, vel supernaturales cum proportionali partitione accommodari. Prior tamen est sensus Augustini iuxta testimonia Scripturæ, quæ allegat, & discursum quem sequitur. Hoc autem supposito sensu, quod subdit, agis illo non adiuuante, libera voluntate, sed male: necessario intelligendum est dictum per amplificationem, propter id, quod frequentius accidit iuxta secundam expositionem superius positam. Quod vero dicit epistol. 89. liberum arbitrium gratiæ non adiutum non habere iustitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, optime intelligitur, quia per se non potest habere veram iustitiam, potest autem habere, & frequentius habet impiam superbiam, quod non obstat, quominus in vno, vel altero actu possit non peccare. Et similiter quod ait in epistola 106. de potestate ad non peccandum, intelligendum est de non peccando simpliciter, id est, constanter, & per totam vitam, hæc enim potestatem tribuebat Pelagius libero arbitrio, dicebat autem aliquantum hoc esse in potestate voluntatis, non quia esset potestas ad vnam, vel aliam occasionem peccandi, sed quia solam voluntatem difficulter hoc posse dicebat, cum gratia vero facilius, & hoc sensu ait August. ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium per se valere.

Maxime vero hæc vltima interpretatio videretur sensum Augustini attingere in c. 18. lib. 2. de Peccator. merit. & remiss. in quo omnia illa, quæ Augustinus dicit, ut ostendat quidquid boni est in voluntate nostra, esse ex Deo non tantum ut creante naturam, & voluntatē, sed alio specialiori modo, quo mala opera voluntatis non sunt à Deo, possunt quidem iuxta doctrinam præcedentis responsionis intelligi de omnibus operibus bonis tam ordinis naturalis, quam supernaturalis, quia omnia sunt accepta à Deo, vel ut auctore naturæ, vel gratiæ. Hoc enim & non aliud in rigore probat discursus Augustini, ut patet ex illis verbis: *Nam si nobis libera quadam voluntate ex Deo est, quæ adhuc esse potest vel bona, vel mala, bona vero voluntas ex nobis est, melius est, quod à nobis, quam quod ab illo est.* Quæ illatio fundatur in eo, quod antea dixerat, præter liberum arbitrium in nobis voluntatem bonam, quæ iam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, & ideo dicit esse quid melius, ac subinde, *Nisi ex Deo, nobis esse non posse*; hoc autem dici potest de qualibet virtute morali, & de quolibet actu morali intrinsece honesto, nam ita est bonus, ut malus esse non possit, & ideo sine dubio à Deo est, ut à principali auctore, & longe aliter, quam sint actus mali, nam licet quoad bonitatem materiale etiam à Deo fiant, longe tamen aliter, quam actus boni naturales, ut supra diximus. Quamuis autem probabilis sit hæc interpretatio, nihilominus probabilius est, Augustinum in illa priori parte illius capituli loqui de voluntate bona per veram iustitiam apud Deum, & de voluntate mala per carentiam eius, seu per malitiam illi iustitiæ contrariam. Nam testimonium Pauli, in quo fundatur argumentum eius, de bonis supernaturalibus, proprie intelligitur. Procedit autem prius Augustinus argumentando contra Pelagium, etiam permixta suppositione eius, nimirum quod datur in homine voluntas libera prius in quodam statu neutro, in quo nec bona sit, nec mala dicto modo apud Deum, quæ potest suis operibus fieri bona, vel mala. Nam hoc etiam posito necesse est, ut cum sit bona à Deo recipiat illam bonitatem iustitiæ apud ipsum, quæ melior est, quam ipsa voluntas, ne Deo tribuamus bonum, quod minus est, & negemus, quod est melius. Postea vero aliter arguit destruendo suppositionem Pelagij, cum ait. *Quantum voluntas, mirum est, si possit in medio ita consistere, ut nec bona, nec mala sit.* Et ita non loqui-

loquitur de actu, sed de voluntate ipsa, seu de homine, probatque, non posse esse in statu medio, quia non potest esse nisi iustus, vel iniustus. Et ita per voluntatem bonam intelligit voluntatem iustam apud Deum, & bonitatem eius vocat ipsam iustitiam, ut patet ex verbis illis. *Regist. ut bonam voluntatem habeamus ex Deo, alioquin nescio, cum ab eo iustificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus.* Et infra voluntatem bonam esse declarat, quæ ad Deum se conuertit, utique conuersione perfecta & secum afferente iustitiam. Et ita ex illo non colligitur, liberum arbitrium gratia destitutum semper operari malum, seu peccatum, sed tantum semper esse malum, id est, in statu peccati, & auersionis à Deo.

Denique eisdem modis, seu regulis intelligendi sunt Patres, qui sequuti sunt Augustinum, nam sicut eius doctrinam, ita etiam verba, & sensus imitati sunt. Cum ergo Prosper ait, quæ sunt sine charitatis medullis, habere pietatis similitudinem, non veritatem, non dicit non habere bonitatem moralem, sed non habere pietatem, quæ vox significat bonitatem altioris ordinis, ut iam declarauimus. Imo potius dicit, non habere pietatis veritatem, quod potest intelligi de pietate ex fide, non quacunque, sed viua, & efficaci ad proprium meritum vitæ æternæ. In quo sensu non solum dici potuit illa sententia de bonis actibus moralibus sine auxilio gratiæ factis, sed etiam de actibus procedentibus ab auxilio supernaturali factis ab homine non habente charitatem, nam sicut illi actus dicuntur mortui, ita etiam dici possunt, non habere pietatis veritatem. Cum autem dicit Prosper, liberum arbitrium solum non nisi in suam perniciem moueri, non ideo dicit, quia semper, & in omni opere peccet, sed quia potest facere, & frequentius facit ea, quæ sibi sunt in perniciem, & si aliquando quidpiam boni naturalis facit, nihil sibi ad salutem prodest, & ideo subdit, ipsum enim arbitrium se excecauerat, & se illuminare non poterat.

Quam expositionem necessario acceptare debent, qui in huiusmodi arbitrio opera indifferentia admittunt, nam illa etiam non sunt in perniciem, licet iniutilia sint. Quod autem in cap. tertio ad Gallos distinguit Prosper opera in bona tantum, & mala, & bona tribuit Deo, mala autem libero arbitrio, intelligi potest iuxta dictam quartam expositionem. Quia vero dicit, bona opera referri ad inspiratorem eorum Deum, videtur in hi probabilius, loqui de bonis operibus meritorijs, & gratiæ, & omittisse opera naturalia, vel bona, vel indifferentia, aut quia rara sunt ante omne auxilium gratiæ, aut quia sunt iniutilia, & (ut ita dicam) nihil pertinentia ad finem supernaturalem, neque ad illum conducentia, neque illum impediencia. Denique quod prius allegatum fuerat ex cap. decimo nono, contra Collator, in humana natura post peccatum nihil remanuisse, nisi quod ad temporalem vitam pertinet, recte intelligitur, ut sub his, quæ ad temporalem vitam pertinent, comprehendantur etiam quæ ad meram bonitatem moralem pertinent, sicut enim Augustinus epistol. 130. dixit, continentiam hominis gentilis ad præsentis vitæ honestatem pertinere. Quod etiam sentit idem Augustinus de Spirit. & Liter. cap. vigesimo septimo, dicens, talia opera esse laude digna, seu merito laudanda. Imo idem Prosper contra Collator. cap. vigesimo sexto, dixit illa corporis, & animi bona, quæ manent in homine post prauitatem, præsentem vitam honestare, non tamen æternam conferre: ergo sub bonis temporalibus huius vitæ comprehendit etiam actus moraliter bonos. Et similimodo intelligendum est, quod in cap. vigesimo secundo, dicit, actus iustitiæ, & prudentiæ, qui ad gubernandam rempublicam etiam in hominibus alienis à gratia Christiana inueniuntur, ex naturæ à Deo conditæ reliquijs superesse in humano genere à temporali vitæ utilitate. Ad illam enim multum sine dubio conferunt morales actus acquisitarum virtutum. Quia vero de hac temporali vita addit Prosper, *Quæ tota est damnationis, & pænæ, id intelligendum est, vel per amplificationem, quia sine gratia ferre nihil est in ea bonitatem moralem, & si quid est, neque à damnatione liberat, nec minuit pœnam, & ideo tota vita hominis lapsi, & gratia destituti dicitur esse damnationis, & pænæ: vel quia si aliquid boni habere potest, quod non sit culpa, nec pœna, tam parum est, & leue, ut pro nihilo reputetur. Eò vel maxime, quod bonum opus morale, quatenus bonum est, non possit dici pœna huius status, tamen quatenus sit sine vilo merito gratiæ, vel gloriæ, & sine vili relatione ad supernaturalem finem, aliquid participat de misera conditione præsentis status, nam verisimile est, in statu innocentie nunquam fuisse hominem tam imperfecte operaturum. Denique quod cap. 27. eiusdem libri videtur Prosper negare, manuisse in homine post peccatum naturalia semina virtutum: vel cum proportionem intelligendum est de virtutibus, quibus ordinatur homo ad vitam æternam, vel certe intelligit non manere naturaliter semina virtutum, quæ adolere possint, seu fructificare in vitam æternam, nisi per gratiam Dei subleuentur; cuius contrarium Cassianus, & Semipelagiani docebant.*

Simili modo intelligendus est Fulgentius: nam omnia, quæ dicit de bona voluntate, & eius initio, intelliguntur de bona voluntate sufficiente ad meritum, seu initium iustitiæ apud Deum, iuxta ea, quæ circa priora testimonia diximus, quæ vero dicit de impotentiã vitandi peccatum per liberum arbitrium sub statu peccati, intelligitur non quoad singulos actus, sed quoad ipsum statum, & hoc modo dicit, *Quandiu homo est peccati seruus non, nisi ad seruendum peccato reperitur idoneus*, quia nec potest ab illo statu sua se virtute eximere, nec potest non seruire peccato, quia licet fortasse vnum, vel alium actum virtutis faciat, fere in reliquo vitæ cursu seruit peccato. Atque in eodem fere sensu dixit Bernard. serm. 1. de Annunciat. hominem sibi relictum in peccatum semper declinare. Illud enim semper non est rigorose intelligendum pro semper (ut sic dicam) id est, in omnibus, & singulis actibus, sed vel dixit semper, quia non contingit, hominem sibi relictum viuere sine peccato, vel quia tam frequenter peccat, ut tota vita possit peccaminosa vocari. Et hic sensus constat ex ratione, quam adhibet, scilicet, quia vniuersa quantum in eis est, ad suam originem tendunt, & in eam semper partem sunt procliuora. Hæc enim ratio ostendit, frequentius hominem sibi relictum operari iuxta defectuosæ originis propensionem, non tamè semper, & in omnibus actibus necessario ita operari. Quod vero in alio loco de libero arbitrio dixit, liberum arbitrium, proficere per gratiam saluantem, deficere autem per seipsum, intelligendum est, ut sit ad æquata partitio, de libero arbitrio quoad statum suum, non quoad singulos actus, iuxta vltimam responsionem datam, quia semper aut per gratiam proficit, aut iacet sub peccato, quamuis in illo statu sibi relictum non semper in singulis actibus peccet. Vel certe si illa duo membra ad singulos actus referantur, dicetur deficere, quoties sibi relictum operatur; non semper proprio defectu culpæ, sed defectu ordinis, & utilitatis ad suum verum vltimum finem.

Partitio autem Anselmi de operatione ex affectu commodi, vel ex affectu iustitiæ, si in illa duo illitermini, commodum, & iustitia in sua generalitate sumantur, esse poterit ad æquata. Videtur autem intelligere veram, & perfectam iustitiam apud Deum, & sic verum est, neminem operari ex affectu iustitiæ sine gratia. Nihilominus tamen operatio ex affectu commodi proprii non semper est peccatum, ut ipsemet Anselmus dixit. Imo potest esse honesta, si recta ratione reguletur. Et ita operatio ex affectu commodi non solum includit actiones peccaminosas, & indifferentes, sed etiam actiones morales honestas, quibus commoditas propria secundum regulam rectæ rationis intenditur, etiam si non fiant propter Deum per-

14.
Similitudo
Fulg. ibid.

Item & Bernard.
ibid.

15.
Item Anselm.
in n. 8.

*M. n. Petri
Diaconi 19
m. 5. citati.*

perfecte dilectum, quæ est propria affectio iustitiæ. Altera præterea partitio Petri Diaconi dicentis, hominem sine gratia posse cogitare, & velle humana, non tamen diuina in eodem sensu, & cum ad æquationem accipienda est. Nam per diuinam sine dubio intelligit omnia, quæ ad Deum finem supernaturalem conducunt, nam de his bonis ibi loquitur, quæ in fide Christi fundantur, & quæ per reuelationem, & infusionem Spiritus Sancti cognoscuntur, & amantur. Sub humanis autem comprehendit bonos etiam morales actus: nam illi, & humanis viribus proportionati sunt, & ex rationibus humanis, quamuis rectis, & honestis sunt, sicut Concilium Arausic. can. 3. in uocationem Dei sine gratia factam, humanam vocat, & canon. 6. labores, vigilas, & studia solo libero arbitrio facta, vocat obedientiam humanam.

*16.
Item Maxentij ibid.*

Difficilius quidem ad hunc sensum trahuntur verba Ioannis Maxentij, cuius autoritas, licet magni facienda non sit, quia, ut creditur, vir non fuit catholicus, sed schismaticus, nihilominus in hac materia non est contemnenda, quia in illa non errauit, sed sequutus est Augustinum, ut in primo libro dixi. Ille igitur duo tantum genera operum distinxit. Quædam, quæ ad vitam æternam pertinent, quæ sine dubio sunt aliquo modo supernaturalia, & ideo dicit, non fieri, nisi per infusionem, & operationem intrinsecus Spiritus Sancti: quæ verba internam, & supernaturalem gratiam significant, ut supra ostensum est, & ex Concilio Araulic. canon. 5. 6. & 7. imo ex verbis antecedentibus, & subsequentibus eiusdem Maxentij satis constat. Ab his autem operibus solam distinguit opera, quæ carnalia, vel sæcularia appellat, & ad illa sola præstanda dicit valere liberum arbitrium. Vnde videtur præterisse bona opera moralia, quia hæc non proprie dicuntur carnalia, aut sæcularia. Quod si fortasse ita est, non est credendum id fecisse, quia nulla omnino esse possint talia opera, sed quia & parua, & rara sunt, & quia in ordinem ad finem supernaturalem neque profunt, neque obsunt, ut diximus. Verisimilius autem est, etiam hæc opera sæcularia, vel carnalia vocasse, non quia ex affectu carnis semper procedant, sed quia ex se solum honestant hanc vitam mortalem, sicut etiam ob hanc rationem inter bona temporalia computantur.

*17.
Item ibid.*

Denique cum Gregorius ait, Sanctos sibi tribuere mala, quæ faciunt, bona autem diuinæ gratiæ, absque dubio loquitur de bonis ad vitam æternam conducentibus, hæc enim sunt, quæ sancti viri diuina gratia præuerti, & adiuti faciunt, de quibus ipse ibi loquebatur. Hisque opponit mala, quæ ab eodem fine aliquo modo auertunt. De bonis autem mere naturalibus, & solo arbitrio factis mentionem non facit, non quia in sanctis viris nulla esse possint, sed quia ibi non assumpsit prouinciam diuidendi exacte opera, quæ in hominibus esse possunt, sed solum monere voluit sanctos viros, quomodo circa bona, & mala opera, quæ vitam æternam merentur, vel impediunt, se gerere, & sentire debeant. At vero Richard. sub illa partitione non tantum videtur comprehendere opera libera, sed etiam mala, quæ necessario patimur: nam sub illis ponit concupiscentiam, de qua dicitur, quod nolo malum, id ego, nihilominus tamen quatenus illa partitio pertinere potest ad opera libera, sub tertio membro operum, quæ nec sunt ad creatum, nec ad meritum, non solum indifferentia, quæ fortasse in indiuiduo nulla sunt, sed multo magis bona honesta pure humana comprehendit, ut patet ex testimonio, quod in exemplum adducit ex verbis Christi. Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris. Hoc enim potius est ex obiecto bonum, quam indifferens.

Item ibid.

Atque ita Richardus potius doctrinam datam confirmat.

CAPVT XXII.

Rationibus generalibus aliarum opinionum satisfi.

PRIMA ratio, quam Gregorius Arimin. proposit, omnibusque contrarijs sententijs fauere potest, sumitur ex æquiparatione actus boni, & mali, quia si actus bonus cum solo generali concursu fieri potest; sequitur, non aliter, neque amplius operari Deum in actu voluntatis honesto, quam in malo, quia ad utrumque concurrat ut causa vniuersalis; ergo si non plus habet in actu bono, est æqualitas: consequens autem videtur damnari ab Augustino libr. 1. de Grat. Christi cap. 25. & libr. 2. de Peccator. merit. c. 18. & alijs locis frequenter: Et patet, quia bonum opus verissime tribuitur Deo, non autem malum; ergo aliquid amplius habet Deus circa bonum actum; illud ergo est gratia. Respondetur, in aliquo seruari similitudinem, non vero in omnibus, & ideo simpliciter negandam esse sequelam. Est enim similitudo in hoc, quod sicut Deus non determinat phylice voluntatem ad malum sola sua actione, siue actiuitate eiusdem voluntatis, ita nec determinat ad bonum, quia vtraque est determinatio libera. Item in actibus mere naturalibus seruatur in hoc æquiparatio, quia ad utroque actus phylice concurrat Deus solo concursu generali ex necessitate. Nihilominus est diuersitas, quod in bonis actibus per illum concursum Deus attingit phylice bonum actum, quatenus bonus est, id est, efficiendo ipsam honestatem; in peccato vero, licet efficiat actum, non efficit malitiam eius, quæ priuatio moralis est. Deinde est in morali modo differentia, nam actum bonum efficit Deus intendendo illum, malum autem permittendo. Denique est etiam diuersitas in morali causalitate, nam actum bonum, vel præcipit, vel consultit, vel approbat, vel etiam ad illum excitat; malum autem minime, sed tantum non impedit, nec negat concursum suum, & ideo simpliciter est author actus boni, non mali.

Secunda ratio, quæ obijcitur, est, quia si posset homo aliquid boni morali sine gratia operari, haberet aliquid, unde posset in se, & non in Domino gloriari, consequens est contra illud Pauli i. ad Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Vbi Paulus reprehendit eos, qui suis viribus aliqua bona tribuebant, & ita de illis gloriabantur, ut alijs præferri vellent. Paulus autem eos redarguit, quia nihil habebant, quod non accepissent, utique per dona gratiæ, de quibus à principio capitis loquutus est; ergo sentit esse contra beneficium gratiæ, gloriari de aliquo bono actu, tanquam non accepto per gratiam. Et confirmatur hæc ratio ex Concilio Araulicano canon. 16. dicente, Nemo ex eo, quod videtur habere, gloriatur, quasi non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur, insonuit; quasi tacite exponat illud vocari à Paulo acceptum, quod per gratiam accipitur, & nihil boni esse in homine, de quo ut non sic accepto possit gloriari. Hinc etiam dixit August. libr. 1. ad Simplic. q. 2. ante medium. Vnde ad monemur, nec de ipsis operibus misericordiam quemquam oportet gloriari, & extolli, quod eis, quasi suis Deum promeruerit, quandoquidem, ut haberet ipsam misericordiam, ille præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit. Et statim subiungit verba Pauli. Quid habes, quod non accepisti. Et eadem applicat ad opus continentie, ut nemo de illo gloriaretur, quasi non acceperit, & generaliter illud pro omni bono opere vrget libr. 2. de Peccator. merit. cap. 18. & de dono perseuerant. cap. 4. & 7. ubi allegat Cyprianum dicentem, In nullo gloriandum, quia nostrum nihil est, idque ex illo testimonio confirmantem libr. 3. ad Quirin. cap. 4. Vnde est etiam illud Gregorij libr. 22. Moral. cap. 5.